



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia

Haineuve, Julien

Antverpiae, 1652

Interpres Lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60125)

I N T E R P R E S

Lectori S.

Qua mente, viginti quatuor hasce Propo-
sitiones, seu Veritates, transtuli ex idio-
mate Gallico in latinum sermonem, eadem quo-
que nomen authoris Hayneusve modica infle-
xione, & sine significationis iniuria, verti Hay-
nouium; utroq; studui. Beneuole Lector, ijs pro-
desse, qui Gallicam linguã ignorarẽt, quos nole-
bam tam solida vite perfectioris nescire fũda-
menta, neq; patiebar in pronũtiatione peregrini
Nominis, vti pronũ apud ignaros est, qui sylla-
bas ex litteris colligũt, hallucinari: Et equũ sanẽ
videbatur, vt tãti viri nomẽ eloqui sine vitio cõ-
discerẽt, cuius doctrinã essent aliquãdo sũmoperẽ
cõmendaturi. Hac nolui te ignorare de Nomine.

De Meditationum autem vsu modoq; , quid
sentiã, audi hac paucula, qua bona authoris pa-
ce tibi significo: Putauit ille, ex inflammato suo
omnes iuuandi desiderio, se non minũs quã
olim gentium Apostolum (a) sapientibus iuxta ac
insipientibus, doctis ac indoctis esse debitorem: in
horũ ergo gratiam proposita argumenta fusiũs
petraetauit, vt paulatim rudibus animis facem
praluceret, & quasi porrecta manu deduceret ad
claram Veritatum intelligentiã, eosque motus

(a) Rom. i.

AD LECTOREM.

atque affectus exercitaret, sine quibus tota hac
 Exercitatio frustra susciperetur; illis verò, qui
 præstant acie ingenij, ac artem meditando callent,
 materiam contraxit in cõpendium, ratus, abun-
 dè se fecisse, quòd momenta rationum, & affe-
 ctuum fontes, velut intento digito commõstraf-
 set. Neutris ergo cum defuerit, quocumque sis ex
 genere, calculum hic tuum reperies: Imperito non
 debet nimia videri prolixitas, si sensim ea te
 doceat, qua tu opte assequi ingenio nequiuisses;
 peritus autem, qualem te, vel inde, suspicor, quod
 talia latinè scribentem legas. & intelligas, vte-
 re compendijs, eorumq; lectione ad meditandum
 te para, tuo deinde Marte propositam materiam
 excocturus, quantum ferent ingenij vires & vn-
 ctio Spiritus S. ad hoc, vti par est, implorata.
 (a) Tamè, si me audis, ne vlla particula bo-
 ni doni te prætereat, quod ab authore tam
 liberaliter offertur, peracta meditatione tua, il-
 lius quoq; meditatione per leges attento animo; vt
 enim nihil inde noui luminis tibi accederet (quod
 tamen haud facile mihi persuaserim) id saltem
 consequeris emolumenti, vt veritas iterum conside-
 rata, veluti repetitis ictibus, altius menti infiga-
 tur, atq; ita totius fructus operis ad te pertineat;
 Id animum tibi voueo, atque adprecor. Vale.
 (a) Eccl. 14. DISTR.